

600099381-





ORATIO

HABITA IN CAMERA HIEROSOLYMITANA

ECCLESIAE DIVI PETRI WESTMONASTERIENSIS

CORAM

EPISCOPIS ET CLERO PROVINCIÆ CANTUARIENSIS

XII° NOVEMBRIS
ANNO SALUTIS M.DCCC.LII.



A

VIRO ADMODUM REVERENDO

GEORGIO PEACOCK, S.T.P.

DECANO ELIENSI,

DOMUS INFERIORIS CLERI PROLOCUTORE.


Cantabrigiæ:

DEIGHTON, BELL, ET SOC.

Londini:

BELL ET DALDY.

M.DCCC.LIX.



PRÆSES REVERENDISSIME, PATRES ADMODUM REVERENDI,

Nimia ista commendatio, qua me Collega meus amicissimus invitum cumulavit, facit ut acrius sentiam quam arduum sit, in hoc gravissimo munere obeundo, vestram de me expectationem sustinere. Satis enim scio, hunc locum amplissimum (ad quem nunc iterum suffragiis meorum evectus sum) multas ac præclaras animi dotes postulare; si modo officia ejus non, ut antehac, subito, ne dicam violenter, præcidenda, sed nunc demum revera exercenda sunt.

Video equidem hic requiri, rerum gestarum Regni hujus et Ecclesiæ solidam cognitionem, Convocationis Anglicanæ usum familiarem, qui omnes agendi formulas rite perspectas habeat; judicii acumen, animi æquitatem et moderationem, postremo dicendi facultatem et fiduciam, non nisi ex diuturnâ in orationibus et felici consuetudine comparandam.

Hæc quantum mihi deficiant, ultro confiteor: spero tamen, quæ vestra est benevolentia, te, Primas venerande, cæterosque in hoc consessu Præsules dignissimos, omnia mihi facile con-

donaturos; et quicquid in dicendo rusticitatis, vel in agendo infirmitatis appareat, id totum mihi ipsi, non fratribus meis, qui me indignum ad hoc tam grave munus elegerunt, acceptum relaturos.

Omnibus plane manifestum est, qui ad hanc Ecclesiæ Synodum convenistis, longe aliam hodie, atque antehac, rerum faciem exhiberi. Prioribus enim Convocationibus, ab ineunte sæculo præterito habitis, nihil fere agendum erat, nisi ut solennes congrediendi formulas, longo tempore sancitas, rite perageremus. Unum tamen erat, quod nullo sæculorum lapsu obliviscendum, nullis rerum mutationibus antiquandum fore speramus; nempe, ut Majestatem Regiam oratione honorifica adiremus, studium nostrum et fidelitatem testantes.

His ita transactis, nulla amplius deliberatione interposita, nullo reclamante, nemine contradicente, illico dimittimur; longo iterum intervallo ad easdem formulas iterandas, frigidas sane et vita omnino carentes, rite revocandi.

Illis profecto temporibus solenne erat, præsentem rerum statum, nimis sollicite fovere: "*quieta non movere*" fons et principium salutis tam Imperii quam Ecclesiæ censebatur: mutatio quælibet, vel levissima, tanquam periculi plena strenue oppugnabatur: non quia, non per se bona esset et expetenda, sed quia mutatio semel cœpta intra justos fines coerceri non posset. Quiescebat interim Ecclesia, dum ea quæ intra muros suos novandi studium reprimebant, pariter ferme vim extra ingruentem et hostiles minas prohibere vel saltem temperare

valebant. Nemini fere in votis erat, Ecclesiæ facultatem deliberativam e mortuis revocare, cum sentirent omnes nihil in hac Synodo moveri, nihil fieri posse, nisi quod antiqua illa et præscripta rerum conservandarum principia, Reipublicæ stantes columnas, in discrimen vocaret.

Advenit tandem inclinatio temporum. Pristinæ rerum gerendarum rationes, quas non sæculorum vicissitudines, non partium studia acerrima delere potuerant, nunc demum penitus immutatæ, immo potius omnino abrogatæ sunt. Publica opinio graviori indies momento etiam in supremam Parlamenti curiam grassari cœpit: senatores eligendi facultas largius prolata, jura et privilegia quæ olim in sanctissimis fuerant, pro nihilo habita: nova undique reipublicæ elementa in vitam emicare et strenue agere, visa sunt: vetera illa in rebus gerendis axiomata ab omnibus decantata, et quæ *majorum nostrorum sapientia* dici solebat, in tenebras relegata sunt: invaluit contra novandi omnia et mutandi studium: et justa legum priscarum reverentia, quæ quasi præsidio salutari instituta Regni et Ecclesiæ tuebatur, contempta et abjecta jacuit.

Mirum sane fuisset, si in hoc rerum publicarum motu tam universo, nullas Ecclesia mutationes experta fuisset. Clerici non residentes in Parochias revocati sunt: pluralistarum numerus imminui et paullatim evanescere cœpit: plurimæ in Ecclesiis Cathedralibus suspensæ sunt Præbendæ, abalienatis in communem cistam vectigalibus, unde novarum Ecclesiarum stipendia, pauperiorum augmenta, suppeterent. Postremo ne

peccantium ministrorum culpâ sacrosanctum ministerii munus in contemptum adduceretur, nova quædam judicia, quæ in delicta clericorum graviora animadverterent, lege constituta sunt.

Paucos fore arbitror qui hæc et similia magna ex parte necessaria fuisse negabunt, et Ecclesiæ nostræ haud parum profuisse. Si tamen rem totam accuratius, juxta antiqua et recognita Regni et Ecclesiæ jura spectemus, et simul fines legitimos inter Parlamenti et Convocationis auctoritatem consideremus, aliqua sunt ex iis quæ supra nominavimus, quæ justo ulterius progredi videantur.

Inter hæc censendæ sunt illæ leges quæ Episcoporum diœceses et patronatus jura partitione nova definiunt: quæ numerum Canonicorum in Ecclesiis Cathedralibus, chartis et statutis sancitum, diminuunt. Hæ leges, quamvis ex Regiorum Delegatorum relatione profluxerint, inter quos Præsules erant aliquot doctissimi, tamen legitima Ecclesiæ ipsius auctoritate, qua sanciri debuere, prorsus caruerunt.

Quæ cum ita sint, quid mirum si invalescere indies et latius manare sentiamus, Convocationis instaurandæ studium? Hanc enim Synodum, modo in vitam revocari possit, et præsidio et auxilio fore speratur; quo se ipsa tueri possit Ecclesia, quoties fabrica ipsius, vel disciplina, vel, quod maximum est, fidei regula, in periculo versetur; et simul legum emendationes, prout sæculorum lapsus et rerum progressus postulare videantur, identidem promulgare et ad Imperii senatum, quem penes summa

semper auctoritas, legitimo Ecclesiæ consensu commendatas referre possit.

Contra vero contendi solet, hodiernum rerum statum, dum Ecclesia controversiis acerrimis multifariam distrahitur, Convocationi restituendæ minime favere. Timendum esse dicitur, ne pars aliqua in Ecclesia, acriori studio et industriâ opiniones suas promulgans, Synodi hujus auctoritatem totam in se trahere, et adversarios suos ab Ecclesiæ communione omnino arcere valeat.

His breviter respondere possumus; nullum ferme tempus fuisse, quo non controversiis æque gravibus, nec minore studio ferventibus, in partes scinderetur Ecclesia. Quicquid igitur periculi ex partium infelici dissensione oriatur, id certe non hujus ævi proprium est. Nec illud valde metuendum videtur, ne viri scilicet, quales Synodi nostræ maximam partem conficiunt, viri ad amplissimam dignitatem propter doctrinæ excellentiam et animi gravitatem evecti, sententiam adeo iniquam et paci Ecclesiæ adeo inimicam, concilii hujus venerandi auctoritate confirmari patiantur.

Et hoc præterea memoriâ tenendum est; nullam omnino vim aut potestatem Convocationis scitum aliquod habiturum esse, nisi pleno Reginæ et Parlamenti consensu stabilitum fuerit. Hoc si deficiat, neque in clerum neque in populum ullam auctoritatem vindicare poterit; opinionum, non legum, numero habendum erit.

Quid vero, si ex altera parte, Regni Senatus Ecclesiæ provin-

ciam violaverit? Quid, si leges sanciverit, non vectigalia solum, sed etiam canones et disciplinam Ecclesiæ tangentes? Quid, si officia divina, immo ipsos fidei articulos tractare cœperit? Num illa pariter vi et auctoritate caritura sunt, donec justo Convocationis consensu confirmata fuerint?

Hoc equidem affirmare non ausim: non enim hujus loci esset, nec infirmitatis nostræ, Parlamento Brittannico fines præscribere. Liceat vero hæc omnia, quæ justam Reipublicæ temperationem turbare possint, ex animo deprecari.

Spes mihi valida est, Pater Reverendissime, in Deo omnia dirigente, ab ejusmodi injuriis Ecclesiam nostram semper defensum iri. Sentio tamen illam in periculo quotidie versari, quamdiu legitima deliberandi facultate careat. Ii enim natura sunt homines, qui inertia pro mortuis habere soleant; vel certe ita ac si mortua essent, se gerere. Sopor diuturnus in mortem vergit. Hinc Ecclesiæ periculum. Cum enim in omnibus aliis Reipublicæ provinciis ferveat emendandi studium, omnia illa, quæ in Ecclesia correctionem postulant, magis quotidie magisque manifesta fiunt. Hic est, inquam, periculi fons et origo. Quo plura sunt et graviora in rebus nostris Ecclesiasticis reformationem impense flagitantia, eo magis crescit indies periculum ne Parlamentum Ecclesiæ provinciam, vacuam sane et relictam, occupare pergat. Quæ si rite æstimarent ii qui Convocationem renascentem tantopere formidant, ipsi forsan ultro confiterentur majora longe damna ante oculos versari, si diutius in his vinculis, amissa libertate, Ecclesiæ Synodus dormiat.

Hæc sunt, Patres Reverendissimi, quæ me impulerunt ut in Convocationem Ecclesiæ instaurandam strenue incumberem. Absit vero, ut silentio prætermittam, quod æque necessarium esse arbitror, quo Synodus nostra Ecclesiæ saluti et commodo inservire possit: nempe diligentem totius rei investigationem, unde melior forsan nascatur Synodi ipsius constitutio, et rerum gerendarum rationes accuratius definitæ.

Nam primo, nec bene intelligitur Synodi nostræ constitutio nec bene composita est. Clerici Parochiales jure queri possunt justo minorem sibi partem tribui: deinde, nullas agendi formulas habemus rite definitas et recognitas. Perpauci extant Actorum Annales; et ii manci admodum et imperfecti. Habemus quidem compendia Actorum Convocationum quinque celeberrimarum annis Domini MDLXII., MDLXXXVI., MDLXXXVIII., MDCXL. et MDCLXI. habitarum: Acta autem archetypa fusius conscripta, cum reliquis scriptis et documentis Synodalibus, magno illo et luctuoso Londini incendio absumta sunt. Quin adeo penitus, ineunte sæculo præterito, memoria Actorum istorum deleta est, ut in illis tumultuosis conventibus, tunc temporis habitis, de jure Domus inferioris deliberationes suas prorogandi, sine Primatis auctoritate interposita, contentio acerrima exorta sit, non nisi Convocationis ipsius diuturna suspensione terminanda. Tanti interest ad Synodum nostram rite ordinandam et pacem Ecclesiæ conservandam, ut agendi formulas rite constitutas habeat.

Nec minoris momenti est, ut provincia Convocationis deliberativa presse definiatur; ne forte justos fines sibi propositos

ciam violaverit? Quid, si leges sanciverit, non vectigalia solum, sed etiam canones et disciplinam Ecclesiæ tangentes? Quid, si officia divina, immo ipsos fidei articulos tractare cœperit? Num illa pariter vi et auctoritate caritura sunt, donec justo Convocationis consensu confirmata fuerint?

Hoc equidem affirmare non ausim: non enim hujus loci esset, nec infirmitatis nostræ, Parlamento Brittannico fines præscribere. Liceat vero hæc omnia, quæ justam Reipublicæ temperationem turbare possint, ex animo deprecari.

Spes mihi valida est, Pater Reverendissime, in Deo omnia dirigente, ab ejusmodi injuriis Ecclesiam nostram semper defensum iri. Sentio tamen illam in periculo quotidie versari, quamdiu legitima deliberandi facultate careat. Ii enim natura sunt homines, qui inertia pro mortuis habere soleant; vel certe ita ac si mortua essent, se gerere. Sopor diuturnus in mortem vergit. Hinc Ecclesiæ periculum. Cum enim in omnibus aliis Reipublicæ provinciis ferveat emendandi studium, omnia illa, quæ in Ecclesia correctionem postulant, magis quotidie magisque manifesta fiunt. Hic est, inquam, periculi fons et origo. Quo plura sunt et graviora in rebus nostris Ecclesiasticis reformationem impense flagitantia, eo magis crescit indies periculum ne Parlamentum Ecclesiæ provinciam, vacuam sane et relictam, occupare pergat. Quæ si rite æstimarent ii qui Convocationem renascentem tantopere formidant, ipsi forsan ultro confiterentur majora longe damna ante oculos versari, si diutius in his vinculis, amissa libertate, Ecclesiæ Synodus dormiat.

Hæc sunt, Patres Reverendissimi, quæ me impulerunt ut in Convocationem Ecclesiæ instaurandam strenue incumberem. Absit vero, ut silentio prætermittam, quod æque necessarium esse arbitror, quo Synodus nostra Ecclesiæ saluti et commodo inservire possit: nempe diligentem totius rei investigationem, unde melior forsan nascatur Synodi ipsius constitutio, et rerum gerendarum rationes accuratius definitæ.

Nam primo, nec bene intelligitur Synodi nostræ constitutio nec bene composita est. Clerici Parochiales jure queri possunt justo minorem sibi partem tribui: deinde, nullas agendi formulas habemus rite definitas et recognitas. Perpauci extant Actorum Annales; et ii manci admodum et imperfecti. Habemus quidem compendia Actorum Convocationum quinque celeberrimarum annis Domini MDLXII., MDLXXXVI., MDLXXXVIII., MDCXL. et MDCLXI. habitarum: Acta autem archetypa fusius conscripta, cum reliquis scriptis et documentis Synodalibus, magno illo et luctuoso Londini incendio absumta sunt. Quin adeo penitus, ineunte sæculo præterito, memoria Actorum istorum deleta est, ut in illis tumultuosis conventibus, tunc temporis habitis, de jure Domus inferioris deliberationes suas prorogandi, sine Primatis auctoritate interposita, contentio acerrima exorta sit, non nisi Convocationis ipsius diuturna suspensione terminanda. Tanti interest ad Synodum nostram rite ordinandam et pacem Ecclesiæ conservandam, ut agendi formulas rite constitutas habeat.

Nec minoris momenti est, ut provincia Convocationis deliberativa presse definiatur; ne forte justos fines sibi propositos

transgressa, Reginæ et Parlamenti privilegia violare audeat. Statuendum est primo, quibusnam de rebus, deinde quos inter fines, deliberandum sit.

Dum Synodi ipsius temperatio correctionem postulat, et agendi formulæ penitus deficiunt, vix fieri potest, ut eam, quam decet, gravitatem et moderationem in deliberando conservemus. Nec facile cavere poterit Convocatio ne acta aliquando sanciat, cum Parlamenti decretis, quorum major auctoritas, aperte pugnantia; quod non sine magno cum pacis tum salutis Ecclesiæ damno evenire potest.

Non me deceret ultra pergere, et unde et quo modo petenda sint, quæ poscimus, ostendere; hoc unum mihi sufficiat, quantopere expetenda sint, rationibus allatis, declarasse.

Sed tempus jam monet finem orationi ponendum esse. Veniam mihi, Præsules Venerandi, coram quibus in hac domo superiori prolocutus sum, concedatis oro, si justo audacius de re tam gravi et tantas opinionum lites in Ecclesia moventi, dixisse videar. Ingravescit quotidie, nec moram patitur, Ecclesiæ periculum, cui salus nulla aut agendi libertas firma esse potest, donec Synodo rite constitutâ fruatur. Quis enim non videt, si Ecclesia legitimam se et sua ordinandi facultatem renuerit, vel invita cesserit, fieri non posse, quin ipsâ vi necessitatis rerum Ecclesiasticarum procuratio in Parlamentum omnino transitura sit?

Hoc nobis indicat quotidie crescens et latius serpens opinio, corrigenda esse omnia, sive in Civitate sive in Ecclesia, quæ corrigi debent: aliud salutis perfugium et portum invenire non pos-

sumus. Ut antea diximus, nihil est quod non tetigit vis illa emendatrix: ea, quæ a majoribus tradita, pietate quadam per sæcula foveramus, coacti tandem reliquimus; gubernandi rationes, legum principia; ita ut non tam vitia correxisse, quam ipsa rerum publicarum fundamenta denuo jecisse, videamur. Nec Ecclesiæ ipsi pepercimus: Diœcesium Episcopalium partitiones, Ecclesiarum Cathedralium instituta, Clericorum possessiones et vectigalia, et plura hujusmodi jampridem a Parlamento solo legem acceperunt. His proximi sunt, nec longo intervallo, Canones, Ritus, Liturgia. Quis spondeat, non ista posthac et omnia sanctissima, in discrimen ventura esse? Quam spem salutis habitura est Ecclesia, cum nulla legum promulgandarum, nulla vitandarum, facultate fruatur? cum neque vitiis corrigendis, neque viribus exercendis, arcem suam munire et hostium minas contemnere valeat?

Faxit Deus Optimus Maximus, ut Sanctus ille Spiritus precibus nostris hodie invocatus, Synodi præsentis deliberationes regat et moderetur: ita ut in hoc rerum cardine ancipiti ea consilia capere possimus, quæ salutem Ecclesiæ quam maxime stabiliant, lites componant, partium studia compescant, jura legitima et privilegia nostra conservent, pacem denique et omnia veræ religionis beneficia per universam gentem longe lateque diffundant.

CANTABRIGIÆ
PRELI ACADEMICI TYPIS EXCUDEBAT
C. J. CLAY, A.M.

